



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Esdra ex Levi. Admiranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Instabitis nihilominus audaces Fabri,
 Trullâ & gladio utrinque districto,
 Ut sacram operam altera peragat manus, altera protegat,
 Cadent invidi surgente muro;
 Suo sanguine Cæmentum maceraturi.
 Ut miraculo sit, Civitas pacis bello nata,
 Nascere felicissimè puer.
 Videbis prodigium annuâ memoriâ celebrandum,
 Cum lustrante Urbem Neemia,
 Et abditam sanctuarii flammam indicante,
 Aqua pro igni reperta:
 Quâ resperfi atæ lapides sponte flagrarunt.
 Gemino itaque miraculo,
 Ignis Filia lympha inimicum Patrem genuit,
 In bellicæ præsagium gloria.
 Ex adversario clarescentis.
 Nascere Musarum voluptas, quæ tecum renascuntur,
 Nam divinus scribâ Esdra, oblitteratas restituet literas,
 Prodi ergo in lucem fortunatissime Abiud,
 De tuâ famâ securus.
 Felix qui sæculo nascitur scriptoribus facto.

ESDRA

EX LEVI.

ADMIRANDA.

Audi & mirare, Viator.
 Hic est ille Cœlestis Chitogogus Esdra,
 Legum peritus, & lator.
 Qui de suo Marte Astræam tertis redonavit,
 Nam de mentis thesauro,
 Adamantinæ memoriæ commissum Pentateuchum de-
 promens,
 Jus divinum repôsuit.
 Perierant Mosis commentaria, pereunte Urbe,
 Immò perierat Moses apud immemores,
 Quin suæ originis oblitus Orbis.
 Aut semper sibi natus videbatur, aut numquam.
 Tanto itaque reparatore Heroum gesta revixere.
 Et ipse revixit Mundus, dum suos legit natales.

Hic

Hic etiam sepultam scribendi artem restituit,
 Perierant humanæ artes cum scriptoriâ,
 Nam devinctis Babylohe manibus,
 Nulli legebantur characteres, nisi servis injusti,
 Itaque sapientiâ gravidum pectus,
 Nil parere poterat vitale,
 Cum ingeniis obstetricare desierant paginae,
 Ferebantur ad aures levissimæ auræ,
 Et verba per auras moritura,
 Hic veloci dexterâ fugientia verba moratus,
 Acuro calamo in tabella defixit,
 Liquidum ævum duratura.
 Certavit cum loquentis linguâ scribentis manus
 Novoque miraculo,
 Audiit oculus quod præperes digiti loquebantur.
 Quale portentum? in fertili pagellatum æquore,
 Musarum agello,
 Nigerrimum notarum semen committi,
 Quod aratum calamo, sapia rigatum,
 Legendam doctrinarum messem festinet,
 Majore ostento, (xii.)
 Inscrutabilia scordis secreta fidâ in pagina præproperè pin-
 Quæ ad amicos mitterentur longo tractu sepositos,
 Ut libri cortice involutus animus
 Flumina Oceanumque trajiceret.
 Heu ramen plerisque lamentabilem artem.
 Quibus calamitas calamus, & atramentum venenum.
 Sed dira provocantibus imputentur,

ELIACIM

ABIUDI FILIUS.

AZOR ELIACIMI FILIUS.

DIALOGISMVS.

Quis hic? *Aliquis.* Quis aliquis? *Nemo.*
 Nemone si aliquis? *Aliquis, & Nemo.*
 Solve hospes hos logos,
Audiui Viator, & tace.

H 3

Hæc